



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vsvardi Martyrologivm

Usuardus <Sangermanensis>

Lovanii, 1573

Capvt III. De lectione Martyrologij in sine Primæ: & cur præmittatur quota  
sit Luna.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42790**

DE MARTYROLOGIIS,

Abb. 492 *archiepiscopi Chronico*. Faustus ex abbate Lirinensis monasterij, apud Rhegium Galliae episcopus factus, Pelagium dogma destruere conatus, in errorem labitur: vnde qui eius sensus hac in parte  
 Cap. 85. Catholicos praedicant (sicut Gennadius de illis-  
 Tertium tribus viris scribens) omnino errant.

exemplū  
 de Marcu-  
 lo annota-  
 tum est su-  
 pra, cap. 3.

CAPVT XIII.

De lectione Martyrologij in fine Primae: & cur praemittatur quota sit Luna.

Vtuntur Martyrologio in fine Primae pleraque Ecclesiae Cathedrales, & multa Canonicorum Collegia, & fere omnia monasteria, non tantum religiosorum, sed & sanctimonialium. Vnde rubrica generalis Romani Breuiarij habent, post orationem Prima in choro legi Martyrologium. Monasteria tamen quaedam non in choro legunt, sed in Capitulari domo. Cuius occasione in sermone quodam de Sanctis annotat Dionysius Carthusianus, In Capitulis religiosorum antequam culpae recognoscantur, seu proclametur, fieri lectionem in martyrologio; quatenus fratres martyrum sanctorum exemplo ad patientiam, animentur, etiam si absque sua culpa redarguantur, aut proclametur. Meminit huius etiam Radulphus de Riuo, in libro de canonum obseruantia. Sic enim scribit propositione 14. In officio Capituli quod fit post Primam, fiunt tria. Primò, memoria Sanctorum in recitatione Martyrologij, cum versu Pretiosa, & Capitulo Sancta Maria. Secundò, memoria defunctorum in anniuersarijs recitandis, cum Miserere mei Deus, & collectis.

Tertiò,

Tertio, quia tunc ad labores diurnos preparari debemus, adduntur preces congruentes, dicendo ter, Deus in adiutorium.

*Lectio Martyrologij præmittitur quota sit Luna. in cuius pronuntiatione etsi nonnulli nonnihil variant, vsitatio tamen hætenus fuit pronuntiatione iuxta morem Romani Martyrologij, licet in eo Luna Calendarij prima, esset luna cæli quinta vt plurimum. Nunc verò cum aureus numerus in nouo Romano Breviario sic sit restitutus, vt non sit opus per quinque syllabas retrocedere, ad inueniendam nouam lunam, sed reductus sit ad diem nouilunij, seu coniunctionis lunæ cum sole: ego etiam pronuntiationem lunæ, quæ ex eo numero dependet, in nostro martyrologio immutavi, vt correspondeat cum aureo numero reducto, vt non sit, aut minima tantum sit differentia, inter lunam cæli & lunam nostri Calendarij.*

*Cur verò quota sit luna præmittatur, rationem puto, quòd Ecclesia velit nobis ob oculos ponere instabilitatem & mutabilitatem miseræ huius vitæ, vt ex eius consideratione rapiamur ad quærendum ea quæ sursum sunt. Per lunæ enim augmenta & decreta vsitatè significatur huius vitæ mutabilitas. Vide & resurrectio Domini in plenilunio celebratur, ad significandum quòd in resurrectione omnis mutabilitas absumetur, quando efficiemur sicut luna perfecta, in æternum.* Pl. 22. f

Mm 5      CAPVT